

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Diem Benedicti Sacrum, Serenissimo ac Potentissimo
Principi Ac Domino Friderico, Prussorum Regi, Marchioni
Brandenburgico ... In Honorem Dei T.O.M. ...**

Ernst, Johann Nikolaus

Stargardiae Pomeranorum, Anno MDCCII.

VD18 90846052

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:5:1-63100-p0011-9](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:5:1-63100-p0011-9)

190 F. 14



190 F 14

DIEM BENEDICTI SACRUM,
SERENISSIMO ac POTENTISSIMO
PRINCIPI ac DOMINO
FRIDERICO,
PRUSSORUM REGI,
MARCHIONI BRANDENBURGICO,
S. R. I. ARCHI-CAMERARIO
ET ELECTORI,
MAGDEBURGI, CLIVIÆ, JULIÆ, MONTIUM, STETINI,
POMERANORUM, CASSUBIORUM, VANDALORUM,
ITEM IN SILESIA CROSNAE
DUCI,

BURGGRABIO NORIMBERGENSI,
PRINCIPI HALBERSTADII, MINDÆ ET CAMINI,
COMITI IN HOHENZOLLERN, MARCÆ ET RAVENSBERGÆ,
DOMINO IN RAVENSTEIN ET TERRARUM
LAUENBURG ET BÜTAU
&c. &c. &c.

IN HONOREM DEI T. O. M.

ET
AD GRATUM TESTANDUM ANIMAM
EXERCITIO ALIQUO
ORATORIO

DEVOTISSIME CELEBRATURA
AD DIEM XXI. MARTII, HORAMQUE IX. MATUTIN:
S. T.

DNN. INSPECTORES, GRAVISSIMOS
PATRONOS, FAUTORES
atque AMICOS

OFFICIOSISSIME ET HUMANISSIME INVITAT
SCHOLA PRIVILEGIARIA.

STARGARDIÆ POMERANORUM,
In Officina Chalcographica JOH. NICOLAI ERNESTI, Reg. Typograph.
ANNO M DCCII.



Ost bella magna certe difficiliaque vix tranquillata Europa, dum denuo exastuantium fluctuum minax facies omnes regiones inundatura videtur; sola fere Prussia, & quæ Augustissimi & Optimi REGIS FRIDERICI Sceptro se submittunt Provinciæ, inter tot tempestates extra periculi metum se adhuc posita vident. Cujus felicitatis quæquam unicus DEUS fons & causa est, cui & unice eam ob causam grates habendæ & agendæ sunt: Attamen nisi REGE pacis amatore & firmatore subditos beasset divina benignitas, divino hoc munere carerent haud dubiè. Quod si omne donum DEI maxima lætitia & grato animo suscipiendum esse omnes affirmant: Quanto illud accipimus gaudio ex quo non unius alteriusve civis aut urbis, sed tot provinciarum tranquillitas, tot hominum quies dependet? Cum igitur in Augustissimo FRIDERICO huic regno REGEM *suscitavit Dominus in cujus manu terra potestas*, (*) quo nec Augusti seculum feliciorem, nec Trajani meliorem vidit: quis regno, quod DEO tantæ curæ est, de tanto REGE gratulari dubitaret? Etenim siue Fortitudinem in Rege requiras, siue in Religionem & Studia amorem & singularem animi propensionem desideres; in S. R. Majestate tam suavi connubio conjuncta reperies omnia, ut Fortitudinem Studia; Studia, cupiditas sinceram Pietatem propagandi parere facile cognoscas. Loquuntur tot hujus rei monumenta, & sera (si quæ futura est) posteritas mirabitur, quantum REX noster potentissimus & clementissimus inter Alexandros, quantum inter Augustos valeat, quantumque hujus Nomen inter *FRIDERICORUM* & Sapientiam, & Pietatem, & Clementiam emicet. Plena jam sunt Academiæ Collegia, plenæ Scholarum cathedræ, pleni eruditissimorum virorum libri verissimis, justissimisque Optimi REGIS laudibus. Quare

si parva licet componere magnis
& nos religione impedimur, quo minus hoc præcipue tempus silentiò præterire patiamur. Non autem laudibus REGIS optimi, non dicam exornandis, sed ne enumerandis quidem institutum nostrum exequemur. Nostra enim de tenui fonte non tam fusæ fuit oratio, ut id præstemus digne: Accedit huc, quod cui nostra encomia nihil addere possunt, nihil quoque Taciturnitas detrahat. Demosthenes ergo & Cicerones in hac se materia fatigent, Virgiliique canant: Nostram, in REGEM Optimum, Pietatem alio, quo possumus, modo exhibebimus humillime. Quam videlicet privatim puerorum institutionem tres abhinc annos, & quod excurrit, ad id opus sollicitati susceperamus, non clementissime solum respexit REGIS Optimi paternus Amor; sed & privatæ tunc institutioni, nunc publicæ Scholæ, Privilegia clementissime irrogavit, & clementissime Se ejus *Tutorem* (nam parvi etiam REGI curæ sunt) professus est. Quod cum præter spem & opinionem nobis contigerit; insperata accidere sæpe magis. quam quæ speres, eo ipso die, Deo T. O. M. sic disponente & ordinante, experti sumus, quo BENEDICTI nomen in fastis anno 1701, legebatur. (†) Bonum, lætumque inde omen accepimus, fore nimirum, ut Deus T. O. M. nostris laboribus BENEDICAT, modo DEO GRATIAS, nunquam non decentes humillime agamus; animoque in DEUM atque homines FIDELI unius Christi Virtute & Spiritus sui gratia tincti crescamus. Sic certe VIREBIMUS; sic παρασκευαζοµεθα, PRÆPARABIMUR variis quidem casibus, multisque rerum discriminibus ad æternum SABBATHUM, ubi gratia Patris in Christo nos

(*) Symc: X, 4.

(†) In fastis à Regia Societate primum editis d. 12. Cal. April legebatur dies BENEDICTI, quem excipiebat (d. 11. Cal. April.) Deo gratias: hunc (d. 10. Cal. April.) Fidelis: d. 9. Cal. April. incidebat Dies viridum, quem Parasceve sequebatur.

cum omnibus fidelibus æternæ illius salutis, quam jam, spe tamen, possidemus (*) beabit. Gratum interim poscit divina Benignitas animum, gratiarum actionem REGI Optimo exhibendam exigit Pietas. Id ergo nobis propositum est animo, ut quotannis dies *BENEDICTI* S. R. Majestate FRIDERICO Optimo, justo, Scholæ huic Regiis exornatæ Privilegiis sacer sit, ita ut tunc semper celebretur DEI trinitus Benignitas, vota que pro REGE nostro Optimo, Ejusque tota Regia domo humillime nuncupentur, & quoad Scholæ hujus memoria manebit, (manebit autem ad finem seculi in dies magis magisque florens vigensque) tanti REGIS, tam clementis Patris Patriæ memoria recolatur, gratiaque agantur humillime Felicissimo Auspici, semperque constet, non in ingratos collatam tantam Clementiam esse. Præterea hunc diem amplam putamus occasione exercendi juventutem fidei nostræ commissam in declamationibus & aliis ejusmodi non fucatis exercitationibus Scholasticis. Tantum enim abest, ut verecundum horum exercitiorum usum improbemus, (ut quidem multis multi de nobis persuadere conantur), ut ea non minus utilia, quam necessaria Scholis putemus. Sed in his exercitationibus singularem cautionem, provisionem singularem esse adhibendam quis negabit? Facillime enim fieri potest, ut plus damni afferant juventuti, quam utilitas concilient. In hac præcipue seculi nostri extrema malitia & corruptione, dum (verba sunt aurea Statii Buscheri †) *quidam Præceptorum* (ò si non multi essent!) *sincerum Pietatis studium velut πείραγμα* *astimant, contra Christi regulam (**), ut omnes fere illi faciunt, qui mundana Sapientiæ totos semet addixerunt: vel si ex professo theologicis studiis sese manciparunt, ita tamen ea tractant, ut eruditiores quidem, & ingeniosiores ad nominis famam comparandam, seu subtiliter disputando, seu pompose declamando, simpliciores vero ad lucrandum panem & alimoniam corporis demerendum, plerique omnes certe ad vitæ secularis commoditates aliquas, & desideria iis abutantur. Nec aliter fere possunt improvidi adolescentes, quin ad captanda ejusmodi bona mundi studiorum suorum labores referant, quando quotidianis moribus & exemplis, undique observantibus, illuc abripiuntur: quando vocibus etiam parentum, præceptorum, aliorumque bene ipsis cupientium stimulantur insuper. Age, inquiunt, intende ingenii nervos, ut acumine disputandi, dicendi gloria, immortalis nominis fama, publicæ dignitatis splendore isti Theologo, Doctore, Magistro par esse possis: ut habeas, unde vivas, in omnium sis oculis, ut locupletam parochiam præ aliis assequaris.* Hinc cerea in vitium flecti juvenus his præceptorum aliorumve monitis ut litet admodum facilis est, secuta interea de seria thesium illarum ex verbo DEI forte quoque perceptarum praxi. Tanta est juvenutis petulantia & in malitiam tantus nisus, ut si omnia verba tua ponderaveris; si omnes actiones tuas ad normam verbi divini, quantum quidem DEI gratia concedit, instituere, itaque in omnibus facta verbis jungere conatus fueris (magis enim exempla, quam verba movent) sæpe tamen futurum sit, ut operam & industriam tibi perdidisse videaris? Quid quæso futurum putas, si non exempla tantum Præceptorum, qui *heluando* (iterum cum Buschero loquimur l.c.) *lasciviendo, superbiendo, mentiendo, calumniando, lucrum captando & similibus vitam diaboli imaginem maxima vitæ suæ parte exprimunt*, discipuli vident: sed insuper ad ambitionem, voluptatem & avaritiam, reliquorum vitiis fontes, stimulantur? Quod si abesset ab omnibus Scholis: si exercitia semper verbo Dei conformia forent; si materia non nisi orthodoxa, utilis, & intellectui perorantium obvia, porro practica magis quam theoretica ex Theologicis, sive, quod non abs re est, ex Philosophicis nunquam non depromeretur, quam uberrimi fructus brevi sperari omnino possent: Si dignis tantum concederetur dicendi exercitium, & desidiosus, tumidi &c. arcerentur; illi, quo cœperunt itinere felicius progredi discerent, hi autem forte pudefierent. Ceterum hoc quidem concedendum est, pro varia ætate, & profectibus unum altero digniorem esse, parvis etiam licebit, pro suo tamen modulo. Nam si ætatis & ingenii imbecillitas inveniendis & disponendis rebus & argumentis nondum est, quia majorem judicii *ἀντίθεσις* requirunt: Præceptoris industria, ut iis succurrat, necesse est; Elocutionem vero ex discipuli ingenio fabricari oportet, quam, si postea Præceptoris lima ei ultimam manum prudenter imposuit, decenter non clamatorum aut histrionum

(*) Rom. VIII, 24.

(†) Stat: Busch: de Scholar: Christian: corrupt: judicium, præmiss. Synops. Theolog: Lüneb:

cl. l. c. XXV, edit. S. 21.

(**) Matth: VI, 33.

strionum more recitet eloquentiæ tyro. Elaboratas autem vel à Præceptore vel ab alio discipulo-
rum orationes *Φιλόσοφαις* & profanis vendere ediscendas, ut videantur eruditi, & laudibus ignorantia-
m convestire; quid aliud est, quam strumam dibapho tegere, aut murem pro leone ostendere? quid
aliud est, quam Parentes (qui, quoniam sapius spes suas ambitioni dedere, filium vix ephebum factum,
majori delectatione, gladio prælongo latus cinctum, quam in literis fundatum vident) incitare, ut
studia adhuc cruda puerorum in Academias propellant, maximo cum libertate uti nescientium detri-
mento? Deus T. O. M. misereatur Ecclesiæ suæ; Scholis imprimis & earum Fautoribus propitius sit,
ipsos foveat, ut tenelli laudes Creatoris celebrare, quando recte & verè agnoverunt, incipiant, juven-
tusque & optimus ætatis flos non diabolo aut mundo, ut proh! sapius sit, sed Christo consecratur u-
nice. Et nobis benignissimus Pater adsit, dum bonæ indolis pueri, quorum ætas intra decimum
sextum & duodecimum annum agitur, periculum perorandi pro viribus facere volunt. Videlicet

GEORGIUS FRIDERICUS SIEBRAND, *Sedin: Pomeran:* Exemplo potissimum CHRISTI
Hierosolymas advenientis humillime, vias DEI à mundo absconditas, eiqve contrarias esse probabit.

JOH. POPPIUS, *Regiom: Pruss:* De Humilitatis præstantia, & quanta eam *benedictio*
sequatur, verba faciet.

CHRIST: HEINR: BAUER, *Mitoâ-Curon.* Omnia nos gratis à Deo accipere pro
modulo ingenii dicet, nec unquam nos remunerari posse beneficia tanta DEI: hinc DEO *gratias*
esse agendas indefinenter.

CHRISTIAN: FRIDR: WILLAMOVIVS, *Regiom: Pruss:* Constantiæ excellentiam expendet.

JOH. JACOB BEKHAUSEN, *Gedan. Pruss:* Gratias S. R. Majestati, Domino nostro clemen-
tissimo ager humillimas, pro Clementia & Gratia nobis exhibita; Et REGI OPTIMO, totiqve ejus
regiæ domui, vigorem Regium, Victoriæ, perpetuamqve pacem Animi, Domus Regiæ, Regni, Pro-
vinciarum apprecabitur humillime.

His exercitationibus optimæ spei pueri pro ingenii sui modulo suam quisqve probare conabuntur
diligentiam, quam in elaborandis propositis dispositionibus adhibuerunt. VOS ergo, *Per-illus-*
tris, Prænobilissimi, Plurimum Reverendi, Consultissimi, longe doctissimi, à
S. R. Majestate Domino, ac Rege nostro clementissimo, clementissime consti-
tuti DNN. INSPECTORES Gravissimi, nunquam non, ea quæ par est obser-
vantia suspiciendi atq; suscipiendi, ceteriq; Musarum nostrarum Fautores,
& Amici honoratissimi; VOS officiosissime & humanissime rogamus, ut honorifica Vestra Præ-
sentia stato die hora IX. antemerid. nos dignari, hocq; modo puerorum diligentiam excitare velitis.

Ceterum precamur, ut DEUS, qui dives est gratia, & misericordia Musarum Patronos & Favito-
res omnes servet salvos & incolumes quam diutissime.

Maxime autem DEUS T. O. M. Sacram Regiam Majestatem, Dominum ac Regem nostrum cle-
mentissimum Regiæ uti, frui patiatur felicitate in perpetuum! *Exaudiat Eum DOMINUS*
quum in angustia fuerit, in tuto collocet Eum nomen DEI Jacob. E sanctua-
rio suo auxilium Ei ferat, atq; è Zion Eum suffulciat. Memor sit omnium
munerum Ejus, & holocaustum ejus pingve estimet. Sala! Det Ei juxta cor
suum, & omne consilium Ejus perficiat. Orabimus in salute Ejus, & in nomi-
ne DEI nostri signa triumphantes erigemus: perficiet enim Dominus omnes pe-
titiones Ejus. (†) Audiat Jehova, quæ quotidie nuncupamus pro Regia Domo vota, ut ipse testis
est Dominus; audiat, exaudiat! exaudiet nos, & respiciet Unctum suum. Quemadmodum nec du-
dubitamus, fore, ut & hic noster conatus non plane ingratus REGI Optimo sit. Primitias,
primam nostræ gentis Scholasticæ exercitationem EI consecramus, Scholamqve, quam Ipse in-
tutelam clementissimam suscipere non dubitavit *AUGUSTISSIMUS* commendamus humillime.
Quod reliquum est, S. R. Majestati Domino ac Regi nostro clementissimo quod Clementi VIII. electo
apprecati sunt; apprecamur humillime. Horologium videlicet indice ad primam horam directo
offerebatur cum lemmate: *SEMPER PRIMA, NUNQUAM ULTIMA! (*)*

REX OPTIME, DOMINE CLEMENTISSIME

vovemus humillime

SEMPER. PRIMA. NUNQUAM. ULTIMA.

TIBI. FLUAT. HORA!

(†) *Psalms: XX.*

(*) *Masfen: de argut, L. 1, p. 265,*

190 F 14

1078

Bibl. der Franckeschen Stiftungen Halle



Ha33S015993X

